

No. 1. 962. 12. Febr.

*P. Johann XII. erhebt Magdeburg zu einem erzbischöflichen, Merseburg zu einem bischöflichen diesem untergeordneten Sitz und verfügt, dass mit der weiteren Ausbreitung des Christenthums unter den benachbarten Slaven Bischöfe an dazu geeigneten Orten eingesetzt und von dem Erzbischof zu Magdeburg, dem sie unterworfen sein sollen, geweiht werden.*

Johannes episcopus servus servorum dei reverendissimis confratribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, monachis, primatibus, cuncto clero et populo in Saxonia<sup>1)</sup>, Gallia, Germania, Bawaria constitutis. Quotiens ad provectum<sup>2)</sup> novae christianitatis concessionis firmitatisque privilegium a sancta Romana ecclesia, cui deo auctore deservimus, exoscitur, totiens omni diligentia omnique amore impertiri operae pretium duximus, ne quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia ob desidiam indesinenter subripiat. Totis ergo viribus, carissimi confratres<sup>3)</sup>, certandum est, ut christianitatem, quam deus omnipotens per servos suos coelesti trophaeo cottidie extendit et provehit, nostro quoque per eum adiutorio in eodem solidetur et maneat. Nunc vero dei operante clementia carissimus et christianissimus filius noster rex Otto devictis barbaris gentibus, Avaribus scilicet ceterisque<sup>4)</sup> quam pluribus, ut ad defensionem sanctae dei ecclesiae triumphalem victoriae, imperii culmen per nos a beato Petro apostolorum principe susciperet coronam, summam et universalem cui deo auctore praesidemus adiit sedem. Quem paterno affectu suscipientes ad<sup>5)</sup> defensionem sanctae dei ecclesiae in imperatorem cum beati Petri apostoli benedictione unximus. Cumque in ecclesia beati Petri apostoli de statu et regimine totius christianitatis tractantes, quae utilia sunt utiliter secundum deum tractarentur, praefatus piissimus imperator Otto, qualiter Sclavos quos ipse devicit, in catholica fide noviter fundaverat, nostrae paternitati innotuit deprecans et obnixie postulans, ne oves quas ipse Christo acquisiverat<sup>6)</sup>, ob pastoris defectionem antiqui serpentis versutia damnarentur<sup>7)</sup>. Ad hanc itaque petitionem assensum, fratres carissimi, merito praebuimus. Totis ergo medullis cordis prout dignum est, ut novella plantatio<sup>8)</sup> super verticem montis in petra quae Christus est fundetur, intendamus. Dabit vires, qui neminem vult perire. Cuius annuente clementia volumus et per hanc privilegii paginam iubemus, ut Magdaburgense monasterium in regno Saxonum iuxta Albiam<sup>9)</sup> constructum, quod praelibatus imperator<sup>10)</sup> ob novam christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in archiepiscopalem<sup>11)</sup> transferatur sedem, quae per subditos suffraganeos totum dei gregem regere et gubernare valeat. Volumus et per hanc privilegii paginam

1) Saxonia fehlt Ann. 2) profectum Ann. 3) fratres Ann. 4) aliisque Ann. 5) ob Ann. 6) in Chr. acquisierat Ann. 7) dominarentur Ann. 8) haec plant. Ann. 9) Albim Ann. 10) sanctissimus inperator Ann. 11) episcopalem Lib. priv.